

PANEGYRICVS
SERENISSIMÆ

Suecorum, Gothorum
ac Vandalorum

PRINCIPIS
ANNÆ

Heroinæ Præstantissimæ,
Honori Piæque Memoræ

consecratus

^A
MARTINO OPITIO.

THORVNII, Ex Officina Schnellboltziana.,
Iterum editus, Ann. M. DC. XXXVI.

SERENISSIMO. POTENTISSIMO.
VICTORIOSISSIMO. PRINCIPI.
VLADISLAV IV.
POLONIÆ. SVECIAEQVE. REGI.
FVNDATORI. PVBLICÆ. QUIETIS.
MAXIMO. PIO. FELICI.
DICAT. DEDICATQVE.
SACRATISSIMO. NOMINI.
A C. MAIESTATI. EIVS.
DEVOTISSIMVS.
MARTINVS. OPITIVS.



4.4. 363 590

SI ab excessu statim Serenissimæ Principis, cuius reliquias terra quas solas potest nunc custodiet, hoc dicendi officium suscepissem, nec composita ad miserationem verba mihi, nec bonis omnibus lachrimæ defuissent verusq; complo-
ratus, quibus luctum suum ac dolorem ob amissum decus virtutum, optimam & rarissimā heroinam, certatim expressissent. Nunc planctu & gemitibus nihil profuturis tempore, cuius in omnes affectus mortalium æquæ ac in cætera magnum imperium est, vel consumptis, vel partem non exiguam decennij spatio & amplius mol-
litis ac temperatis, laudes defunctæ restare ac memoria sola videtur, digna illa quæ, cineribus sarcophago ipsorum instar fragili traditis viuacior, Mausoleo quouis altior, corda Posterorum oculosq;, simile virtutum exemplar vix deinde visuris, iugi desiderio & contemplatione perpetua moretur. Liberius autem tutiusq; vel ideo

vasto huic prædicationis ac gloriæ mari
 vela commitemus, quod rerum dominos
 laudare mortuos tam extra suspicionem
 adulationis, quàm culpæ viuos ac redar-
 guere, non extra discrimen esse nouimus
 ac periculum. Est enim ea ferè Regum
 multorum ac Principum conditio, vt in
 ipsius quantumlibet felicitatis ac huma-
 narum rerum fastigio constituti, per suos
 tamen pariter ac eorum mores, quibus
 gratiæ vel impetrandæ spes, vel amitten-
 dæ timor necessitatem assentiendi tacen-
 diq; imponunt, necessàrio maximè auriũ
 vsu carere sæpissime cogantur. Ita fit, vt
 dum in aprium quæcunq; dicunt aut fa-
 ciunt producuntur omnia, dum recessus
 eorum intimos curiositas vulgi & late-
 bras Palatiorum explorat, dum illam quæ
 hæcenus legis instar occupauit & conua-
 luit opinionem, de Principibus viris nisi
 benè loqui non licere, fama publica susq;
 deq; habet, ipsi hoc imprimis potentiæ
 suæ pretium ferant, vt & iustis laudibus
 suis rarò interfint, & à iucundissima ve-
 rum audiendi voluptate plerumq; exclu-
 dantur. Viueret tamen illa cuius memo-
 ri-

riam hic celebramus, viueret adhuc & su-
 perstes esset Princeps innocentissima: cer-
 te acta illi honestissime vita, probitas ini-
 mitabilis, facti ad genium pietatis antiquæ
 mores, vnicuiq; potestatem dicendi quæ-
 cunq; vellet (non autem posset nisi opti-
 ma) daret libenter ac permetteret. Nunc
 postquam terrestre illud astrum olim, ani-
 ma purissima, stellis omnibus superior
 immortalium se numero mistam nouit,
 postquam is eam status excepit, in quo
 nec Oratorum colores, nec Poëtarum in-
 geniositas, nec adulatorum aut rumoris
 vllius mendacia locum habent, quid resta-
 re nobis amplius potest, quàm vt contem-
 platione tot virtutum gratam saltem ea-
 rum nobis memoriam retinere, illi verò
 eas impertire laudes conemur, quas coele-
 stibus occupata quantumuis non requi-
 rat, moribus tamen grauissimis, bonitate
 diuina, summisq; quotquot non in hunc
 sexum modo, verum in omnes etiam ho-
 mines cadunt dotibus, omnino merita est
 Ego verò quod commendatione hac pu-
 blica exemplar ac veluti lumen, quod se-
 ctentur, sustollere posteris audeo, rem
 qui-

quidem egregiam me, grauem tamen ac propè superbam, maioremq; quam pro viribus meis aggredi fateor. Sed quam alij ab eloquentia & nitore verborum gloriam polliceri sibi ac sperare audent, eam si veritas orationis mihi, si fides ac libertas conciliauerit, illud quod solum hinc quæro abunde nanciscar. Discernamus autem a proprijs statim heroinæ ornamentis ea, sine quibus vt talis nasci non potuit, ita maximam earum virtutum partem adsciscere sibi potuit, quas hic imprimis commendamus. Ac quoniam a gente & patria capiendum est initium, ne in vestibulo statim erremus ac vim legibus Rhetorum faciamus, habeant sibi sententiam suam docti cætera & excellentes viri, qui Thraciam cum Suecia, Getas cum Gothis, Iordanis ac eiusmodi notæ scriptorum vestigijs insistentes, quasi quærendum amplius non sit, audacter coniungunt. Certissimis argumentis alia dudum omnia ostendit, vt reliquos præteream, ornamentum Gedani sui Cluuerius: nosque idem facere & plurimis, neq; leuioribus in opere iam affecto rationibus, si qua co-

na-

natus nostros tranquillitas vitæ exceperit, pro virili tentabimus. Non opus hic conditis fabularum vrbanitate Amazonum historijs: non ex antro instar Trophonij dictante præcepta sapiētiae ac morum Zamolxide: non succumbente tandem Principis Optimi, cuius virtutum imaginem, Vladislæ, Rex Victoriosissime, tu nunc refers, Traiani armis Deceballo: sufficiant Gothorum gloriæ peragrata triumphis tot antiquitus terrarum spatia, prolatum vndique imperium, raptus sub iugum Danubius, captæ post inessam Daciam (vnde error Historicorum de Getis, quorum Daci soboles sunt, initium duxit) cum Mæsijs Pannoniæ, acquisitæ iure belli prouinciæ Galliarum vberriimæ, retenta, sub potestate regia seculis aliquot Hispania, subacta Italia & Orbis ipsius caput Roma, quæ, cum secundum ante nihil habuerat, par Gothico robori esse non potuit. Nec post Frigidignos, Athanaricos, Alaricos. Athaulfos ac Theodoricos, ingentia nomina, heroës incomparabiles, senium virtus illa gentis clarissime traxit, ac effoetæ instar arboris exaruit, aut cum

il-

illis coloniam & ipsa mutauit, ac patriam deseruit. Non externis equidem viribus, sed labe consiliorum ac motibus domesticis summam rerum ad peregrinos deuolutam esse identidem haud diffitemur: libertate tamen sibi constante, finibus nullam partem imminutis, salua legum maiestate regnum ipsum sui simile, hoc est, integrum, illæsum, immobile semper extitit. Adeo qui ausibus stupendis, spiritu inuicto, animorum corporumq; robore incredibili, contentione fortitudinis accerrima tot regiones, tot gentes tractusque Orbis terrarum nobilissimos victoriarum suarum monumentum statuerunt, delibanda aliquid de pristina libertate sua gratiam nulli haecenus mortalium fecerunt: Cæterorum porro Regum seriem attexere ut huc nihil attinet: ita Gustauum Principis augustæ auū præterire nec possum, nec debeo. Ingemiscebat Respublica, hostium crudelitate, prauis malorum ausibus in discrimen coniecta extremum, ac compressa per iniuriam & labefactata. Ille prudentia summa, animo infracto & sustentauit nutantem, & in eam faciem re-

restituit, ut, nisi negotium sanguine tot ciuium constitisset, pænè tanti fuerit coneidisse. Qua verò moderatione pacatis rebus, quanta clementia & virtute fauces imperii totos octo & triginta annos sustinuit? Qua continentia pomeriis regni sui contentus alienum non affectauit, ac Liouoniam, quo illum inuitare occasiones temporum nonnullæ videbantur, intactam reliquit? De patre verò Iohanne quid senserit Respublica, applausu suo, lætitia & mirifico consensu, cum Principatui ac Regno admoueretur, Proceres omnes statim & Ordines testificati sunt. Neq; spes eostam explorata, tam honestū de illo iudicium fefellit. Nam & diuturna magnæq; molis bella, quæ illi cum Mosco imprimis fuerunt, successu confecit auspiciatissimo: & regnum domi, quod foris armorum dexteritate tuebatur, quietè ac ex animi sententia continuit. Catharinam verò matrem qua incuria omiserim, quæ utriq; parenti tot maiorum tropheæ, tantam sceptrorum gloriam debet ac ornamenta Patri quidē Sigismundo I. stirpis

Jagellonicę nitorem, cuius imperio, vt ante benemeritissimo illi ac diuino propē Piaſteo, glorioſiſſima incliti Poloniae Regni Reſpublica beata tot annis, felix, intacta & inconcuſſa ſtetit. Matri autem Bonæ, cum propter patrem Johannem Galeacium Ducem Mediolanenſem familiæ Sforziæ decus, virtute militari & rerum geſtarum beneficio partum: tum propter Iſabellam Aragoniam, reginam Neapolitanam, matrem regum plurimorum ac Principum imagines, de quibus tot annales ac monumenta ingeniorum præconio nunquam inter morituro loquuntur. Venio ad fratrem Sigismundum, Optimum ac Prouidentiſſimum Principem: quem fideliffima, obſequentiſſima, cariſſima ſoror admiranda adeo pietate affectuq; incomparabili proſecuta eſt, vt depoſita dulciſſimi patriæ nominis memoria comitari eum ac intra hoc regnum manere, quam illic annos ſuos extrahere maluerit, vbi ex legibus huius Reipublicæ aſpectu eius haud dubiè ſibi carendum erat. At quid de illo prædicari ſatis, quid commem-

mo-

morari ex merito poteſt, cui, ſententijs quamuis tam diuerſis, votis tam dubijs, iuueni adhuc faſces ſuos Polonia ſummiſit & animos, ac trans mare poſito terrarum ſuarum imperium & maiestatis ſupremæ honorem detulit; delatum tanta magnanimitate aſſeruit contra ambitum ac tutata eſt? Properauit benignitas factorum, annuit cœlum, ratio & vtilitas publica conſenſit, vt heros excellens, acer cunctiſq; naturæ ac virtutum bonis perfectiſſimus, populo ſimili, regno non diſpari præficeretur. Populo, inquam, illi, qui viribus bellicoſiſſimis quoſuis inſultus, ſtudio libertatis nationes omnes alias, hoſpitalitate verò, ſplendore nobilitatis, doctrinarum cultu, eloquentia & comitate etiam ſeipſum vincit: cuius ſapientiam in cōſultis, magnanimitatem in factis hoſtes metuunt, experiuntur, ſed cum emolumento ſuo, amici, præſentes commendant, ſtupent externi & admirantur: quæ laudare ex merito nemo præſumit, niſi de temeritate ſua idem argui velit ac vituperari. Regno illi, cuius per vaſtiſſimas vndi-

B 2

que

que oras tot prouinciæ existunt, quot à regnis plerisq; vix vrbes ostentari possunt ac oppida; quodq; coeli temperie, salubritate aëris, vbertate agrorum, copia frugū, armentorum, pecorum gregumq; abundantia, pernecitate equorum, ferarum innocentia, opacitate nemorum, fluuiorum oportunitate, celebritate portuum, gratissimo deniq; maris commertio, & sibi ad omnia quæcunq; vita mortalium flagitat ipsi sufficit, & tot vten filia opulentiaque, suæ bona in plurimas quaquaversum oras ac regiones distribuit, vt granarium Orbis Christiani, mater gentium & alumna, benignissima, consentientibus cunctorū quotquot nutrit fouetque suffragijs, dici mereatur. Tam vastum, tam nobile & gloriosum virtutis suæ theatrum nactus SIGISMVNDVS III. toto imperii sui tempore prouidentia singulari, fortitudine inuicta, successu rerum prosperrimo adeo enituit, ita de omni hominum genere meritissimum sese reddidit, vt nihil an- niseius felicissimis adstruere amplius su- premum Numen potuisse videatur, nisi fili-

filium regno admoouisset VLADISLAVM, qui vt paternarū virtutum illustre exem- plum est, ita suarum nullum habet. Quis autem Homerus dignè cecinerit hunc A- chillem? quis Apelles hunc Alexandrum, sed placidum, neq; temulentum, veris co- loribus expresserit? Quanta fortitudine, eomes parentis ac laborum socius, refer- tas adolescens adhuc multoties cohortes fudit, cecidit, fugauit? qua alacritate sa- cris expeditionibus suis pruinis Scythicas, rigorem Borysthenis, iniurias æstatis & brumæ ac quicquid durum castris propo- nitur pertulit ac contempsit? quo impe- tu, qua celeritate ingentes hostium acer- rimorū copias sæpè vix visas prostrauit, sæpè etiam nondum visas, solo terrore no- minis sui ac interuentu? quoties impera- torum maximorum glorias supergressus regno vicit etiam ante regnū, & Patris si- mul triumphos duxit ac suos? qua indul- gentia tranquillitatem ac quietem dedit, aliis, dexteritate fecit suis ac peperit? quo amore augustos Fratres suos, Serenissi- mamq; fororē, splendidissima æui sidera,

prosequitur, quaque affectione ac studijs amplectitur: quo iudicio, qua benignitate de se ac Republica virtute bellica, fide cōfiliorum aut alijs benemeritos dignitatibus, præfecturis, facultatibus donat, exornat & ad maiora omnibus modis excitat: quanta disceptantium altercationes patientia audit, ius cum æquitate dicit ac diiudicat: qua clementiæ ac humanitatis fama quærentes vitæ tranquillitatem ac extorres ad clientelam suam inclitæq; reipublicæ petendam allicit: Sed quis tanta Patris Patriæ opera artesq;, cum insertæ sint oculis cunctorum ac mentibus, amplificatos nempe regni terminos, ciues seruatos, liberatas metu aras & focos, restitutā pacem, factas in tot annos inducias, remissum aut ad modum & leges redactum vectigal, redditam naualibus ac mercium accessui securitatem aliaq; per partes eloquatur: aut cur sacratissimū nomen eius ac merita, moderatio, præstantia, fides, efficacia, & contubernalis nati bono publico regis indiuisa iustitia commissionibus verborum meorum obsole fieri debeat?

beat? Sed nec vni describendę pietati suffecerim, qua amitæ optimē de se meritæ cineribus, hoc nepote felicibus, sepulturam fieri constituit, eosq; honores decreuit, quos incerta rerum hætenus & temporum iniuria distulerant. Nam & hoc extremum aduersus Principis beatissimæ reliquias officium externis alijs addamus, quæ fortunæ nascendi ac regiæ illius familiæ imputanda sunt: mentionem eorū iam facturi, quæ ipsa, virtute Dei, sola sibi debuit, ac inter sua maximē possedit. Quod si tam numerosam gloriam inde ordiri debemus, vnde Christiani merito omnia, a precibus nempe, a metu summi Numinis & amore coelestiū, quid illa sanctius? quid antiquius? quid religiosius? Judicent inter hæc studia persuasionum de cultu sacrorum ac ritibus qui debent, transeant ad partes qui possunt, carpant aliud persuasum habentes qui volunt: Illa sententiam alienam vt pectore ferebat lenissimo, ita suam, qua olim imbuta fuerat, firmissimo retinebat. Nec vincendi hoc ardorem dixisses aut pertinaciā, quæ vbi se-

sexui molliori semel inuasit, altiores plerumq; vt næui alii, quàm in nobis radices agit. Sed quia & Principis & Christianæ esse iudicabat, nouitum demum insistere, cum mens alia in quibus conquiescat non habet, illa & literarum sacrarum diligentissima erat, & acerrimo quæcunq; legerat iudicio expendebat, & viros eruditos ac scientiæ sanctioris veteres, vt ut pleraq; secum dissentientes, ad alloquium & disceptationes placidas nō admittebat modo, sed & euocabat sæpenumerò ac literis inuitabat humanissimè scriptis: detestata subinde mores illorum ac vehementiam, qui cum doctrinam a Conseruatore generis humani vnico relictam iactitent maxime, professò tamen in fratres suos, qui vt credere idem cum illis nō possunt, ita credere illos quod volunt non vetant, odio charitatem amorem, quem ipse suis, morti etiam proximus, tanta sollicitudine curaq; commendauit, abiecte habent ac negligenter, & tribunali nouissimo, quod nec fallit nec fallitur, iudicandi potestatem, in hac caussa soli illi debitam, non pro
pie-

pietate quam ostentant, æmulatione discordiosa præripiunt. Cum verò sciret optimè ac cogitarèt Domina & virgo religiosissima. Principibus ac Regibus, quorum profusam nonnunquam liberalitatem mirantur alij, alij, sæpe & immerentes, experiuntur, a potestate rerum humanarum absolutissima Deo Optimo Maximo, vt cæteris mortalibus, impetranda esse omnia; suppliciis ac precationibus ardentissimis cum illo de rebus quibusvis ac negotiis semper transigebat. Sic quoties Frater fulminauit in hostico, Nepos signa iussit canere, Respublica in acie stetit, Nostra votis suis in partem prælii venit, & tormentis precum fortissimis, quibus solis manum dat æternus Imperator, coelum ipsum perripit, vicit ac de victoria suorum consentire iussit. Et quomodo hæc oris puritas, hæc castitas animi, tanta sanctimonia, tam venerabilis morum disciplina Deum inefficacem aut surdum experta esset vnquam? Quippe cum sanctissimus, purissimus, plenissimusq; pietatis ipse sit, integras, pudicas, illibatas & vo-

ces & mentes solas admittit. Præfensigitur ac benignus aderat his sacris: quia faciebate ea, ignemq; deuotionis perpetuum fouebat, Vestalis innocentissima. Suscipiebat has orationes: quoniam instar dotis illi assignabantur a virgine incorruptissima. Accedebat hoc templum; nam & templum ipsa erat, & pudicitiam ædituam suam fecerat ac antistitam. Et quis diuinam castitatem non primo statim aspectu deprehendisset? quis quæsiuisset de hac virtute, cuius istic tot argumenta inueniebat, tot videbat exempla? Nihil molle, nihil otiosum, nihil lasciuiū & quod ad luxuriam animū vel possidentis componeret, vel prouocaret alienum. Aspexisses vultum: ille vt maiestates ac regiam in quam nata erat sortem diffiteri non poterat, sic pudicitiam robur, verecundiam oculi loquebantur. Considerasses incessum: nulla illarum sanctius ingreditur quæ repudium mundi consortio renunciarunt. Inquisiuiesses in vitam: sic ætherias mentes viuere illic credibile est, vbi ipsa animo habitabat dum adhuc nobiscum

scum esset. Neque tacita pietate solum: cantu etiam, hymnis, laudibus diuinis illas imitabatur & carminibus. Hinc in conclauis, in atrio passim tot organa pneumatica, tot musica instrumenta, quæ & digitis Deo soli placere doctis emendatè ac ex arte pullabat, & voce temperabat suauissima. Ita mortalis viua in cœlum abibat, cuius machinam & ipsam canere cū Theologi paganorum ac gentes quædam persuasum haberent, illi sacrificijs ad permulcendos superos, istæ sepulturis etiam cantum adhibebant, quod animas ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum, reuerti credebant. Ita os suum, purum & verbi nullius licentia contaminatum, Deo porrigebat, qui iam possederat animum, quem & ipsum nec cogitatio voluptatis vnica intrauerat. Hæc qui audis, quid aliud est quod requiras? An humilitatem & in Principibus tam gratiosam comitatè, quam in tenuioribus molesta superbia est? Illa verò ex tanto fortunæ strepitu ac fulgore diadematum & titulorum nihil sibi nisi temperatam fronte priuatam dignitatè,

ex victorijs suorum ac triumphis nihil nisi gaudium vendicabat & capacem humanæ conditionis lætitiā. An frugalitatē? Vestes intra priuatū larem, vel sacrarium potius, munda, elegantes: in publico regiæ, atrata tamen ferè ac citra luxum. Mensa conuiuas excipienti non superba, sed benigna, liberalis & instructa grauitate: frugi aliàs epulæ, cibūq; nec ærario publico grauis nec stomacho. Gynæceum ac famularum operæ intra modestiæ numerum; piæ, veraces, pudicæ. Tales enim & recipiebat solum, & exemplo suo magis faciebat. Nihil quidem suspecti, aut famæ solum non optime, cuius quidem conscia esset, circa se vnquam retinuit. Quam verò dulce illud, quam gloriosum, contubernium! Quanta illic censura morum, quis pudor, quod silentium, quæ tranquillitatis imago & modestiæ! Ita qui lucem aulæ quærebant, disciplinam domus priuatae inueniebant, & associatum principatui rigidum in vitia omnia dominatum. Temporis porro rationem cum alteri reddere non cogeretur, à se ipsa exigebat,

bat, vt confidentius posset à suis. De precibus assiduīs, de cantu & hymnis, de lectione in qua multa erat, nihil hic repeto. Cæterum horto inambulare, cōserere arbutum, educare flores, herbas voluntarias legere, curam requirentes plantare, non ad vtilitatem minus quam ad diuerticulū animi ac oblectationem. Horum ingenia vsūq; explorare, de ijs cum peritis medicæ artis, Italo quodam frequentius, sermonem conferre, alia flammis, alia condituris in alleuamentum infirmorum, qui eò tanquam ad sanitatem suam ac salutem indies prærepebant, cogere, succūq; inde extrahere ac animam. Hoc autem thesauro suo, cui partem diei potius impendere, quam nugis & silentio perdere malebat, quantam liberalitatem exercuit ac munificentiam! Nullis hic precibus opus, nullo desiderio; & hoc primum egentibus dabatur, ne peterent. Gestiebat quippe promere, vocabat venire dubitantes, & qui per valetudinem adesse nō poterant, absentes iuuabantur. Prædicare sanè consicij rerum satis nequeunt, quam inusitata

promptitudine & ægrotantibus remedia,
& validis, sed inopibus, cibos largita sit, re-
gium hoc subinde ingeminans: Lucrari
se munera sua, & inter gazam suam im-
primis reponere, quodcunque necessitati
pauperum applicaret. Studia etiam do-
ctrinæ, ipsa linguarum aliquot, ac inter eas
Latinæ, minimè ignara, largitionibus sa-
cris prosecuta est, & cultores literarū egre-
gie charos habuit ac eximijs multoties li-
beralitatibus adiuvit. Hoc quoque pro men-
te qua prædita erat pientissima: neque cir-
cumspectè minus & prudenter. Nam cum
gratitudinis modus sit non vnus: à Musis,
quæ diuitias quidem quas iactitent nō ha-
bent, ea beneficii ac amantes illarum expe-
ctare possunt, quæ raro adsunt vel opulē-
tissimis. Meauctore quidem vindicare se
se homines eruditi satis possent, si eorum,
à quibus vel omnes vel singuli opprimun-
tur aut ludibrio & despectui habentur, in
monimentis ingenij sui mentionem pari
fastidio nunquam facerent. Sed plerumque
quibus literæ sordent de existimatione
etiam suam, & quid post excessum suum
de

de se dicturi sint homines, parum labo-
rant. Donabat denique & aliis, aut meren-
tibus, aut bonis, aut quos reddere se bonos
posse confidebat. In domesticos etiam su-
os nullum largitionis & beneficentiæ ge-
nus vnquam omisit. Nobiles præsertim
puellas suas, super alias donationes, am-
plissima dote ad coniugia nonnunquam
prouexit: quarum vna, forma & generis
antiquitate conspicua, propè lectulum
decumbentis in nouissima quamuis vale-
tudine, iungi suo ac dicari voluit. Sed quis
heroicas Principis exactissimæ virtutes,
quibus admirabilia veteris probitatis e-
xempla multis modis superauit, quis iu-
stitiam eius, sapientiam, æquitatem, absti-
nentiā, eundem in vtraque fortuna vultū,
& tot tantasque dotes includere verborum
angustiis audeat? Me & numerus & ma-
gnitudo absterret, gnarum iis quæ sermo-
ne exprimi non possunt, venerationem
rectius deberi & religiosum silentium. Pa-
tientia imprimis suæ & fortitudinis, mor-
bo tandem corporis implicata diuturno
ac pertinaci, documentum insigne dedit.

De-

Decerpebat quotidie ex viribus aliquid febris molesta primo, remissior inde aliquandiu, sed quam languores alij vertente anno & pericula sequebantur. Illa tamē solita munia non deferere, non aut assiduitati lectionum aut officijs deesse: accedere templū, virecta petere, instruere pharmacopolium, interque cogitationes adeo de sua morte infirmitati alienæ consuleret, medicorum vt opem ac consilia non aspernari, ita, cum ab initio statim id quod euenit suspicaretur, in vnum maxime intenta esse: eorum hac constantia exemplū imitata, qui in altum prouecti inter minantes interitum fluctus, incumbentibus pelago remigibus, satagentibus nautis ac artem suam omnem aduocantibus, sereno tempestatum aduersa vultu excipiūt, ac id quod fors cogit magno animo expectant & patiuntur. Nec illam tot pretia viuendi, honores, dignitas, rumor honestissimus, conscientia optima, successus suorum & auctoritas regia morabātur: nihil quippe illi longius, quam vt videret hanc diem, qua per mortem omnium rerum postre-

stremum beatissimo spirituum ethereorum, quos sanctimonia vitæ hic expresse rat., consortio & societati iungeretur. Ad Deum itaque, supplicationibus suorum vinci semper adfuetum, tota conuertit, secura dehinc de humanis, quæ meditata illi dudum fuerant omnia. Ac ne quid ad promptitudinem hinc abeundi deesse videretur, corollam, quam capiti suo post efflatam animam applicari vellet, auxilio vnus ex puellis honorationibus, contexit suis ipsa manibus ac concinnauit. O virilem in tam tenero corpore animum! O validum pectus in extremo languore! Scias illam victoriæ certam fuisse, quæ certaminis ornatum ante ipsum assignare sibi tanta fiducia & discernere potuit. At quò fila hæc aurata, Princeps felicissima? quò hi elenchi vnionum? hæc delitiæ gemmarum & infertæ? Aliter constant hæc sacra, o beata! Ecce editorem horū Agonaliorū Deum, cui virtutem tuam semper probasti! Ecce sodalitium tuum, factionem albatam, animas cœlo ascriptas, & ab omni agitato-

torum officio, nisi qua parte summus Munerarius laudandus est, æternum exemptas! Ecce victoriam de vanitate humana, de invidia, de morbis, de mortalitate, cuius nullum in te amplius imperium est! Ecce præmium tuum, gloriam nulli oculi visam, nulli auri perceptam, nulli voci redditam, nec menti humanæ ulli comprehensam! Vicisti, ANNA, vicisti, eoq; nunc regno frueris, cuius fors extra impotentiam dominandi, fraudes ac conspirationes, æmulationem, armorumque & pacis iniurias longè posita est. Inspicis iam felicem illum librum, cui inscripta inter hæredes cœli, nomina sanctissima, dudum fuisti. Plantata es in hortum immortalitatis, inserta arbori salutis, propagata ad scaturigines aquarum viventium. Ea nunc bona possides, quæ, sicut ipse qui tribuit, immutabilia sunt & sempiterna. At cineres ac quantum tui superest quod iussu providentissimi retro Regum, Nepotis tui, qui absens etiam memoria tui gratissima exequias tuas ducit, marmora teque digno monumento inferuntur, ho-

honori tuo pariter & pietati suæ prospicit, ac quoniam qua se cura dilexeris recordatur, amicum etiam defunctæ agit. Illustrissimos quidem hos heroas, hos Proceres ac viros splendidissimos, hanc nobilissimorum amplissimorumq; hominum concionem sepulturæ tuæ, pulcherrimo atq; memorabili spectaculo, adesse quod voluit, hoc pignus esto obseruantiae illius ac amoris quo te, necessitudine amitam, parentem affectu, vnicè ac ex animo prosequatur. Nos autem quoties in florentissima vrbe ista, in hac basilica reliquiis tuis dehinc superbiore, arcam & requietorium tuum ac circumstructam illi ædiculam intuebimur, toties & virtutum tuarum, & gratitudinis inuicti Regis, & fragilitatis nostræ memores erimus.

